

OFFICIA PROPRIA  
DIŒCESEOS  
OSNABRUGENSIS

PARS ÆSTIVA

Die 1 Junii

In Ecclesia Cathedrali tantum:

\* IN TRANSLATIONE  
SS. REGINÆ, JULIANÆ,  
CORDULÆ, CORDUÆ  
ET SOCIARUM

Virginum et Martyrum

Duplex

IN I VESPERIS

**Ant.** Ego Dóminus dabo  
eis nomen mélius a filiis et  
filiabus: nomen sempitérnium  
dabo eis, quod non peribit.

**V.** Deus meus, impollúta  
via ejus. **R.** Protéctor est  
ómnium sperántium in se.

Oratio

**D**a nobis, quæsumus, Dó-  
mine Deus noster, bea-  
tárum Reginæ et Sociá-  
rum, Virginum et Mátyrum  
tuárum, palmas incessábili  
devotióne venerári: ut, quas  
digna mente celebráre non  
póssumus, humilibus saltem  
frequentémus obséquiiis. Per  
Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

**Invit.** Regem Virginum,  
Dóminum, \* Veníte, adoré-  
mus.

**Ps. 94.** Veníte, exsultémus.

1 Propr. Osnabrugén. P. Æstiva

Hymnus

**V**ox sonat Sponsi: Diutúr-  
na cessit

Nunc hiems, tristes abiére  
nimbi,

Ver adest, flores rédolent:  
parátæ

Súrgite, Sponsæ.

Obviam Jesu properáte  
ovántes,

Virgines: vestrum caput ipse  
cinget

Líliis: secum thámo recep-  
tas

Ipse beábit.

Vos enim nullus labor hoc  
in orbe

Térruit, Sponsi mémores  
amántis;

Hujus et causa tolerástis ul-  
tro

Aspera quæque.

Ipse, qui vobis móriens  
supérnas

Addidit vires, simul edomáre  
Córporis sexum dedit, et cru-  
éntas

Víncere pugnás.

Hinc fidem Christo, semel  
obligátam,

Usque servástis; rutilátque  
vestra

Impigre lampas nihil imbre  
et atris

Victa procéllis.

Terra nunc vobis patet,  
unde curae  
Exsulant omnes, ubi nil opacat

Limpidi caeli faciem, perennis

Sol ubi fulget.

Summa laus Patri, genitroque Verbo,

Et tibi, compar utriusque virtus

Spiritus semper, Deus unus, omni

Temporis aeo.

Amen.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**N**obile sacrumque agmen, quod geminis virginitatis et martyrii coronis exornatum sancta Ursula, Virgo praeclarissima, triumphans olim in caelum introduxit, religiosa semper veneratione prosecuti sunt antistites et populi Germaniae. Inter quos ardentiore a saeculis studio sacrarum Virginum amplexi sunt cultum et episcopi et presbyteri Osnabrugenses. Namque Cathedralis templi capitulum, annuente praesule, prope moenia civitatis Osnabrugensis, extra portam Herrenteich, instituit hospitale, quod ab undecim millibus Virginum nuncupari, et

infirmis sacerdotibus emeritis receptaculum esse voluit, ut residuos aetatis dies divina contemplando vitaeque anteaetate maculas diluendo consumerent, et ad felicem se accingerent obitum. Ibidem etiam anno millesimo trecentesimo nono, Engelberto de Weihe episcopo, exstructa est capella lignea; in cuius locum paucos post annos subrogatum est sacellum lapideum, quod et ipsum iisdem Virginibus dedicatum, postmodum altarium et beneficiorum fundationibus locupletatum, at una cum hospitali die decima septima mensis Aprilis anni millesimi quingentesimi quinquagesimi tertii, cum suburbia delerentur, a caterva populi perustum est.

**R.** O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: \* Quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. **V.** Cum praesens est, imitantur illam: et desiderant eam, cum se eduxerit. **Q**uoniam.

#### Lectio v

**G**otfridus episcopus, qui saeculo decimo quarto ab anno vicésimo primo ad usque annum undequingagesimum Osnabrugensem gubernavit diocesim, pia erga sanctas Virgines veneratione a sorore sua Peronetta, Comi-

tissa de Arnsberg, quae coenobii sanctae Ursulae in Coloniensi civitate tunc Abbatissa exstitit, impense petiit aliquot Ursulani coetus reliquias, quas consentiente Coloniensi archiepiscopo re vera impetravit; erant autem inter alia plurima beati Permarii, Episcopi Cremonensis et Martyris, beatarum Reginae, Julianae, Cordulae ac Corduae, Virginum et Martyrum, veneranda lipsana. Tanto ditatus thesauro, praesul summo exultavit gaudio; jamque caute ac reverenter sacras has exuvias composuit, et transferri fecit Osnabrugum, ubi ingenti totius cleri ac populi laetitia exceptas, solemnissimo ritu, cum hymnis et canticis, in majori Ecclesiae Cathedralis ara condidit, atque diem hanc Kalendarum Junii annua translationis solemnitate celebrem posteritati esse voluit et ordinavit.

**R.** Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te: \* Trahe me: post te curramus in odorem unguentorum tuorum. **V.** Speciosus forma praefiliis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. **T**rahe.

#### Lectio vi

**P**raelaudatas reliquias magna pietate complures tum episcopi successores tum Canonici et alii argenteis tumbris thecisque pretiosis ornata-

ri curarunt. Cum autem anno millesimo sexcentesimo trigésimo tertio, deserviente belli procella, civitatis ecclesiae omni fere argento et auro despoliarerentur, Deo favente fidelibusque vigilantibus haec sacra lipsana conservata sunt integra; quae Franciscus Wilhelmus, inclytus episcopus ac postmodum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis, post exsilium duodeviginti annorum Osnabrugensi Sedi restitutus, diligentibus inquisitione et inspectione peracta, ita conservata invenit et agnovit. Quare hilarescens in Deo jubilavit, nec lilia nec rosas, castitate candidas, martyrio purpureas, Ecclesiae suae deesse, et anno quinquagesimo primo saeculi decimi septimi decrevit, servandam esse annuam hanc solemnitatem. Sacra autem pignora, in vetustis thecis splendidis conclusa, ineunte saeculo vicésimo in nova ac magnifica ara majori debito cum honore condita, religiose asservantur, et compluries per annum pia fidelium venerationi patefiunt.

**R.** Impleat Deus omne desiderium vestrum, \* Secundum divitias suas in gloria, in Christo Jesu. **V.** Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo. **S**ecundum. **G**loria Patri. **S**ecundum.

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

## Lectio vii Cap. 25, 1-13

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii  
Episcopi

Comment. in Matth. cap. 27,  
n. 4-5

Lampades igitur, animarum splendens lumen est, quae sacramento baptismi splenduerunt. Oleum, boni operis est fructus. Vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bona conscientiae recondendus est. Vendentes sunt hi, qui misericordia fidelium indigentes, reddunt ex se petita commercia, indigentiae suae scilicet satietate, boni operis nostri conscientiam venentes. Haec enim indefessi luminis copiosa materies est, quae misericordiae fructibus et emenda est et recondenda. Nuptiae, immortalitatis assumptio est, et inter corruptionem et incorruptionem ex nova societate conjunctio.

R. Magis satagate, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: \* Haec enim facien-

tes, non peccabitis aliquando. V. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Haec.

## Lectio viii

Mora Sponsi, penitentiae tempus est. Expectantium somnus, credentium quies est, et in penitentiae tempore mors temporaria universorum. Nocte media clamor, cunctis ignorantibus tubae vox est, Domini praecedentis adventum, et universos, ut obviam Sponso exeant, excitantis. Lampadum assumptio, animarum est reditus in corpora; earumque lux, conscientia boni operis elucens, quae vasculis corporum continetur. Prudentes Virgines haec sunt, quae opportunum in corporibus operandi tempus amplexae, in primum se occursum adventus Domini preparaverint. Fatuae autem, quae dissolutae ac negligentes, praesentium tantum sollicitudinem haberint; et immemores promissorum Dei, in nullam se spem resurrectionis extenderint.

R. Media nocte clamor factus est: \* Ecce, sponsus venit, exite obviam ei. V. Prudentes Virgines, aptae vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

## Lectio ix

Et quia prodire obviam fatuae extinctis lampadibus non possunt, deprecantur

tur eas quae prudentes erant, ut oleum mutuentur. Quibus responderunt non posse se dare, quia non sit forte quod omnibus satis sit: alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suae emere oleum sit necesse. Quas hortantur ut redeant ad emendum: si vel sero praecipitis Dei obsequendo, cum lampadum luce sponsi digna efficiantur occursum. Quibus morantibus, sponsus ingressus est; atque, una cum eo in nuptias, sapientes, quae comparato lampadum lumine operiebantur, introuunt, id est, in caelestem gloriam sub ipso statim adventu Dominae claritatis incidunt.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

## Capit. 2 Cor. 4, 6-7

Fratres: Deus illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu: habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

## Hymnus

Jesu, corona Virginum,  
Quem Mater illa concipit,  
Quae sola Virgo parturit,  
Haec vota clemens accipe:

Qui pergis inter lilia,  
Septus choraeis Virginum,  
Sponsus decorus gloria  
Sponsisque reddens praemia.

Quocumque tendis, Virgines  
Sequuntur, atque laudibus  
Post te canentes cursitant,  
Hymnosque dulces personant;

Te deprecamur supplices,  
Nostris ut addas sensibus  
Nescire prorsus omnia  
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclito,  
In saeculorum saecula.

Amen.

V. Virgines laudent nomen Domini. R. Quia exaltatum est nomen ejus solius.

Ad Bened. Ant. Venit Sponsus: \* et Virgines, quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias.

## Oratio

Da nobis, quaesumus, Domine Deus noster, beatorum Reginae et Sociarum, Virginum et Martyrum tuarum, palmas incessabili devotione venerari: ut, quas dignamente celebrare non possumus, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM

Capit. Fratres, ut supra ad Laudes.

R. br. Deus meus, \* Impolluta via ejus. Deus. V. Prosector est omnium sperantium in se. Impolluta. Gloria Patri. Deus.

**V.** Afferentur Virgines in lætitia et exsultatione. **R.** Adducentur in templum Regis.

## Oratio

**D**a nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beatarum Reginae et Sociarum, Virginum et Martyrum tuarum, palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente celebrare non possumus, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

## AD SEXTAM

**Capit.** 2 Cor. 4, 16

**P**ropter quod non deficiamus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.

**R. br.** Afferentur Virgines \* In lætitia et exsultatione. Afferentur. **V.** Adducentur in templum Regis. In lætitia. Glória Patri. Afferentur.

**V.** In nomine tuo, Domine, exsultabunt tota die. **R.** Et in justitia tua exaltabuntur.

## AD NONAM

**Capit.** 2 Cor. 4, 17

**I**d enim, quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate æterni gloriæ pondus operatur in nobis.

**R. br.** In nomine tuo, Domine, \* Exsultabunt tota die.

In nomine. **V.** Et in justitia tua exaltabuntur. Exsultabunt. Glória Patri. In nomine.

**V.** Virgines laudent nomen Domini. **R.** Quia exaltatum est nomen ejus solius.

## IN II VESPERIS

**Capitulum et Hymnus de Laudibus 5\*.**

**V.** Virgines laudent nomen Domini. **R.** Quia exaltatum est nomen ejus solius.

**Ad Magnif. Ant.** Casta generatio \* in perpetuum coronata triumphat, incoquinatorum certaminum præmium vincens.

**Et fit Commemoratio sequentis (Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Martyrum):**

**Ant.** Istorum est enim regnum caelorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

**V.** Lætâmini in Domino et exsultate, justi. **R.** Et gloriâmini, omnes recti corde.

## Oratio

**D**eus, qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Marcellini, Petri, atque Erasmi solemnitate lætificas: præsta, quæsumus; ut, quorum gaudemus meritis, accendâmur exemplis. Per Dominum nostrum.

## Die 5 Junii

## S. BONIFATII

## Episcopi et Martyris

## Duplex II classis

Officium fit sub ritu duplici II classis; quare tam I quam II Vesperæ recitantur integræ de S. Bonifatio, et in I Vesperis fit Commemoratio præcedentis (S. Francisci Caracciolo Confessoris), in II Vesperis vero Commemoratio sequentis (S. Norberti Episcopi et Confessoris).

Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ in Breviario hac die habentur propria.

Lectiones I Nocturni A Miletò, de eodem Communi.

## IN I VESPERIS

**Pro Commemoratione præcedentis:**

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terræna, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

## Oratio

**D**eus, qui beatum Franciscum, novi ordinis institutorem, orandi studio et penitentiæ amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere; ut, semper orantes et corpus in servitute redigentes, ad cælestem gloriâ pervenire mereantur. Per Dominum.

## IN II VESPERIS

**Pro Commemoratione sequentis:**

**Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stulam gloriæ induit eum.

## Oratio

**D**eus, qui beatum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem verbi tui præconem eximium effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fecundasti: præsta, quæsumus; ut, ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum nostrum.

## Die 20 Junii

## In Ecclesia Cathedrali tantum:

IN TRANSLATIONE  
SS. CRISPINI  
ET CRISPINIANI

## Martyrum

## Duplex

## IN I VESPERIS

**Ant.** O Rex gloriæ, qui Crispinum et Crispinianum per martyrii triumphum magnificasti, miserere nobis, et per Sanctorum suffragia da nobis sempiterna gaudia.

**V.** Lætâmini in Domino et exsultate, justi. **R.** Et gloriâmini, omnes recti corde.

## Oratio

**Q**uæsumus, omnipotens Deus: ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Crispini et Crispiniani translatione procedit; quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. (Per Dominum.)

*Deinde sit Commemoratio S. Silverii Papæ et Martyris:*

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honore coronasti eum, Domine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor æternæ, placatus intende: et per beatum Silverium Martyrem tuum atque Summum Pontificem perpétua protectione custodi, quem totius Ecclesiæ præstitisti esse pastorem. Per Dominum.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**C**árolus Magnus, Francorum Rex ac postmodum Romanus Imperator, prolixo atrocique bello infestis Saxonum paganos laccessivit et tandem superavit. Quorum provinciam religionis christiænæ propagandæ stúdio inflammatus multis exornavit ecclesiis, quas sacris reliquiis, prædiis ac redditibus munifice ditavit. Omnium autem pri-

mam episcopalem in Saxonia fundavit Ecclesiam Osnabrugensem, sancto Petro Principi Apostolorum necnon sanctis fratribus Crispino et Crispiniano sacram; ad quam lipsanorum partem satis magnam eorundem fratrum Martyrum devoto transtulit munere. Atque exinde laudati sancti fratres, Osnabrugensium Patroni, qui tertio sæculo in Gallia glorioso martyrio cælestem coronam erant adepti, perpétuis honoribus Osnabrugii celebrati sunt.

**R.** Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, et in Mari Rubro via sine impedimento. **V.** Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Terra.

## Lectio v

**A**nno millésimo centésimo Ecclesia Cathedralis Osnabrugensis cum ædibus vicinis episcopilibus lamentabili incendio in testudinibus et officinis conflagravit et ad cineres ambusta est. Máxima tunc cura fuit Widoni episcopo Osnabrugensi, ut reliquiæ sanctorum Crispini et Crispiniani, quas Carolus Magnus donarat, illæsa servarentur. At sacra lipsana, diu indagata, minime reperiebantur; omnes quippe ea ibidem haud dubie existere sciabant, sed ubi tam pretiosus thesaurus

esset absconditus, ignotum erat omnibus. Tandem sub principali altari, quod ex parte ab igne corruptum ceciderat, invento brevi muro cum fornice firmissimo, detectæ sunt sanctorum Patronorum exuvia. Episcopus autem, loci vastitatem considerans et sanctorum pignorum rapinam formidans, eadem ad monasterium Iburgense transferri curavit, et in altari sancti Clementis, quod a tergo concautum erat, caute includens abbatii et monachis omni stúdio custodienda reliquit.

**R.** Vërbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. **V.** Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

## Lectio vi

**W**idonem episcopum id agentem, ut Cathedræ templum de integro conderetur, annus posterus millésimus centésimus primus de terris sustulit, eique succedens piissimus Joannes præsulatum Osnabrugensem nactus est. Qui, postquam per sex annos strénuam in reficienda Cathedrali operam consumpsit, mole jam completa, reliquias sanctorum Crispini et Crispiniani, quæ tãndiu monasterii Iburgensis hospitio usæ erant, solèmniter Osnabrugum reduxit; sed cum Norbertus abbas peteret,

ut pro sacro símbolo hospitii ibidem habiti reliquiarum pars ecclesiæ Iburgensi donaretur, ejusdem votis annuens episcopus ipso reductionis die costam unam et aliud ossiculum monasterio Iburgensi legavit. Insequenti vero sæculo generosi fundatores Cathedrali Ecclesiæ magnificas donarunt thecas, in quibus sanctorum Patronorum lipsana religiose conclusa ad usque nostra tempora honorifice servantur. Quæ thecæ ineunte sæculo vicésimo reconditæ sunt in nova ara splendida majori, statutis autem temporibus tam populo quam clero devôte ostenduntur Feris que Rogationum processionally circumferuntur. Age dum, Patronos nostros, in sacrorum corporum reliquiis nobis præsentés, devôte semper veneremur, ut divinam incessanter nobis exorent tutelam.

**R.** Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos; et in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum et pax est electis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intelligunt veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Glória Patri. Quoniam.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Attendite, de Comuni plurimorum Martyrum 3 loco cum R. viii Hæc est vera fraternitas; et dicitur IX Lectio de S. Silverio Papa et Martyre.

## AD LAUDES

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

**Ad Bened. Ant.** Sancti Dei \* Crispínus et Crispiniánus submissa colla percussóribus tradidérunt: modo coronáti accipiunt palmam, vivunt in ætérnum cum Christo; benedictus Dóminus, qui eréxit super sídera cornu suórum Mátyrum.

## Oratio

**Q**uæsumus, omnipotens Deus: ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Crispíni et Crispiniáni translatione procédít; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

*Et fit Commemoratio S. Silverii:*

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beatum Silvérium Mátyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectione custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

*Vesperæ de sequenti (S. Aloisio Gonzaga Confessore), Commemoratio præcedentis:*

**Ant.** A progénie in progénies fecit misericórdiam Dóminus, qui addúxit Crispínus et Crispiniánus, ut in terra nostra peregríni essent et ádvenæ, in illa vero pátria cælesti cives Sanctórum ac doméstici Dei: ibi nobis dati a Deo patróni júgiter intercédant pro hac sancta plebe et univérsis fidélibus, allelúja.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

**Oratio** Quæsumus, ut supra.

Die 29 Junii

SS. PETRI

Titularis Ecclesiæ Cathedralis et Patroni principalis Civitatis Osnabrugensis, et PAULI Apostolorum

Duplex I classis cum Octava communi

Totum Officium in Festo et infra Octavam fit ut in Breviario.

Die 4 Julii

S. UDALRICI

Episcopi et Confessoris

Duplex

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

## Oratio

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsistimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia adversa muniámur. Per Dóminum nostrum.

*Et fit Commemoratio præcedentis:*

**Ant.** Dum esset Summus Pontífex, terréna non métuit, sed ad cælestia regna glórius migrávit.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beatum Leónem Summum Pontíficem perpétua protectione custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. (Per Dóminum.)

*Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:*

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor gentíum, ipsi nos docuerunt legem tuam, Dómine.

**V.** Constitues eos príncipes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

## Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem Apóstolorum tuórum Petri et Pauli mátyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eo-

rum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**U**dalricus, excélsa prosápia Alamannórum patre Hupáldo, cómite de Dillingen et Khyburg, et matre Thietbúrga natus, puer mónachis sancti Galli tráditur educándus. Ibi stúdio litterárum et virtútum zelo, præsertim castimóniæ, ádeo excélluit, ut coævi „sánctulum“ illum jam abinde céperint vocitáre. In pátriam revérsus, cognáto suo Adalberóni, episcopo Augustáno, fidéliter desérviit et post ejus mortem bonórum suórum patrimoniárium per quatuórdecim fere annos curam gessit. Mórto Hiltíno, Adalberónis successóre, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiæ Augustánæ præficitur.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

## Lectio v

**F**actus igitur episcopus, totum se contemplatióni dedit et sacre lectiáni: interim nihilóminus, ut pastor bonus, summa cura ac sollici-

túdine óvibus suis invigilábat. Quas, tum sápius visitádo, tum quibúsvís ingruéntibus periculis confirmádo, ádeo numquam deséruit, ut irrum-péntibus aliquádo Húngaris fórtiter resistédo precésque férvidas ad Deum ex ánimo fundédo cives suos e summo discrimine feliciter liberáret.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

#### Lectio vi

**C**omponéndis discídiis et inimicis reconciliándis óperam semper navávit egrégiam; Ottónem Cásarem et Liudólphum ejus filium, gravíssimis inter se dissidéntes ódiis, reconciliávit. Páuperes quotidie mensæ suæ adhibébat convívas. Abstinéntia fuit admirábilis; in oratióne étiam ad multam sæpe noctem assiduus, lecto plúmeo numquam est usus. Longum est commemoráre, quam multa ædificárit templa, quántaque per eum Deus contúlerit dona. Atque in his piis stúdiis ac laboribus per quinquaginta annos episcopátus múnere digne et sancte functus óbiit quinto Nonas Júlias, anno Incarnatiónis Dominicæ nongentésimo septuagésimo tertio. Viginti annis post a sínodo Lateranénsi, præsidénte

Joánne Papa quintodécimo, inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omnino inter omnes canonizatiónes solémnes. Hujus reliquiæ Augústæ Vin-delicórum in ecclésia sanctæ Afræ, póstea ejus nómine nuncupáta, religiosissime servántur, ubi gloriósa ejus mérita miraculis corúscant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo peregere, de Comuni Confessoris Pontificis 1 loco.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur et de ipso IX Lectio juxta Rubricas sit dicenda, sumi potest sequens

#### Lectio ix

**U**dalricus, excelsa prosápia Alamannórum natus, puer mónachis sancti Galli tráditur educándus, ubi stúdio litterárum et virtútum zelo, præsertim castimóniæ, excélluit. In pátriam revérsus, cognáto suo Adalberóni, episcopo Augústano, fidéliter desérvit; cuius successóre Hiltíno demórtuo, Udalricus ab Henrico primo rege episcopus ecclésiæ Augústanæ præficitur. Factus igitur episcopus, totum se contemplatióni dedit et sacre lectiáni: interim, ut

pastor bonus, summa cura ac sollicitúdine óvibus suis invigilábat; quas étiam irrumpéntibus aliquádo Húngaris fórtiter resistédo precésque férvidas ad Deum fundédo e summo discrimine feliciter liberávit. Ottónem Cásarem ejusque filium Liudólphum gravíssimis inter se dissidéntes ódiis reconciliávit. Episcopátus múnere per quinquaginta annos digne et sancte functus óbiit quinto Nonas Júlias, anno Incarnatiónis Dominicæ nongentésimo septuagésimo tertio. A Joánne Papa quintodécimo inter Sanctos relátus est, quæ fuit prima omnino inter omnes canonizatiónes solémnes.

**Te Deum laudámus.**

#### AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

#### Oratio

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsistimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminus nostrum.

**Et fit Commemoratio Octavæ:**

**Ant.** Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

**V.** In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

#### Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præceptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminus nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V. Justum et Oratio Deus,** qui cónspicis, **ut supra.**

**Deinde Commemoratio Octavæ:**

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

**V.** Constitúes eos príncipes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

**Oratio Deus,** qui hodiérnam, **ut supra.**

Die 15 Julii

S. HENRICI

Imperatoris, Confessoris

Duplex (m. t. v.)

Officium fit ut in Breviario hac die, sed sub ritu duplici; quare I Vesperæ dicuntur a Capitulo de S. Henrico, et fit Commemoratio præcedentis.

IN I VESPERIS

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

**D**eus, qui hodiérna die beátum Henricum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulisti: te súplices exorámus; ut sicut illum, grátia tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sáeculi superáre fecisti, ita nos fácias, ejus imitátione, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Bonaventuræ Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris):

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Bonaventúra, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

**D**eus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram místrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

Vesperæ de sequenti (Commemoratione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo), Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, qui hodiérna die, ut supra.

Die 29 Julii

S. OLAVI

Regis, Martyris

Duplex

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

**Ad Magnif. Ant.** Iste Sanctus \* pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

**D**eus, qui es regum corónam et Mátyrum victória: tribue nobis, quæsumus, beáti Olávi Regis et Mátyris tui pia apud te experíri patrocínia; ut per tuam, quam in ejus passióne glorificámus, magnificéntiam corónam vitæ diligéntibus te percipiámus repromíssam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (Ss. Nazarii et Sociorum Martyrum):

**Ant.** Gaudent in cælis ánima Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubílibus suis.

Oratio

Sanctórum tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii conféssio beáta commúniat: et fragilitáti nostræ subsidium dignánter exóret.

Deinde Commemoratio S. Marthæ Virginis:

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beáta Marthæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Postea Commemoratio Ss. Felicis ac Sociorum Martyrum:

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sáanguine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsúltate, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

**P**ræsta, quæsumus, Dómine: ut, sicut pópulus christiánus Mátyrum tuórum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis temporáli solemnitate congáudet, ita perfruátur ætérna; et quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

**O**lávus rex Norwégia, Olávi Skothkónung, Suecórurum et Gothórurum regis gener, evangélicæ veritátis sinceritate in Anglia compérta, Rothómagi ad grátiam baptísmi devóta ánimi alacritáte pervénit. Purificátus lavácro salutári hábuit secum multos



episcopos et presbýteros ex Anglia, evangelizántes bárbaris verbum Dei et regnum Jesu Christi. Misit étiam nuntios ad Unwánum, Hamburgensem archiepiscopum, suppliciter petens, ut eos episcopos benigne reciperet, suosque ad eum mitteret, qui rudem pópulum in christianitate confortarent. Quare Unwánus archiepiscopus étiam álios viros doctissimos ordinávit in Norwégiam, álios vero in Anglia ordinátos ad edificándam in Norwégia ecclesiam dimisit, omnes autem ad subjectionem Hamburgénsis ecclesiæ réddidit voluntários. Céterum novo rerum ordine ipse rex Apóstoli vice fungens, Christi grátiam passim ómnibus prædicábat, innumerabilémque pópuli multitudínem Dómino brevi acquisívit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Descendítque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. **Et.**

#### Lectio v

**Q**uod indigne feréntes plerique próceres Norwégiáni, fidei christiánæ hostes, Canútum Danórum regem contra Olávum regem incitáruunt. Quorum ille perfidiam declinans, in Rússiam secésit ad Jarosláum, Rússiæ du-

cem, affinem suum. In Rússia non parvo témpore demorátus, religiónis et vitæ sanctissimæ célebrem atque jucúndam reliquit memóriam. Pertæsi autem Norwégiáni óptimi regis abséntiæ, ipsum ab exsílio ad regni sólium per legátos révocant. Ille permótus ab eis, per Suécix fines, magna regis Amúndi affinis aliorúmque propinquórum, et amicórum gratulatióne, in Norwégiam revértitur. Quo compérto, veritátis hostes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus, bellóque veniéntem excipere decrevérunt, duce Canúto Danórum rege.

**R.** Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, \* Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus coronám de lápide pretiósio. **Et.**

#### Lectio vi

**O**ccúrrit sanctus rex inimicis cum exército, pro justítia et fide pugnatúrus. Intérea noctu appáret ei Dóminus Jesus Christus, atque his verbis eum solátur: Veni, dilecte mi, áccipe coronám, quam tibi præparávi in ætérnum. Qua visióne confortátus, martýrio se lætus obtulit, jam divínitus agnóscens scalam sibi ad cælos eréctam, quam nuper in somnis vide-

rat, per quam ad magnam illam multitudínem dulcédinis divínæ felíciter erat ascensúrus. Anno ígitur Dómini milésimo tricésimo per quosdam domésticos hómines improbos, a Canúto rege pecúnia corrúptos, opprésus, de castris ad palátia ætérni Regis, et de bello migrávit ad pacem. Cujus sanctitátem Deus post mortem multis declarávit miráculis.

**R.** Stola jucunditátis induit eum Dóminus: \* Et coronám pulchritúdinis pósuit super caput ejus. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

#### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum

#### Lectio vii Cap. 16, 24-27

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilia sancti Bedæ Venerabilis Presbýteri

#### Homilia de uno Martyre

**V**éritas dicit: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum. Quia nisi quis a semetípso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropínquat: nec valet apprehéndere quod ultra ipsum

est, si nescierit mactáre quod est. Sed jam, qui se a vítiis ábneget, exquirénda ei virtútes sunt, in quibus crescat. Nam cum dictum est: Si quis vult veníre post me, ábneget semetípsum, prótinus adjúngitur: Et tollat crucem suam, et sequátur me.

**R.** Coróna áurea super caput ejus, \* Expressa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitudinis. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus coronám de lápide pretiósio. **Expressa.**

#### Lectio viii

**D**uóbus étenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassiónem próximi afficitur ánimus. Pensémus, quáliter utróque modo Paulus crucem suam túlerit, qui dicébat: Castigo corpus meum, et in servitútem rédigo; ne forte áliis prædicem, ipse réprobus efficiar. **E**cce in afflictióné córporis audívimus crucem carnis, nunc in compassióné próximi audíamur crucem mentis. Ait: Quis infirmátur, et ego non infirmor? Quis scandalizátur, et ego non uror? Perfécтус quippe prædicátor, ut exémplum daret abstinentiæ, crucem portábat in córpo, et quia in se trahébat damna infirmitátis aliénæ, crucem portábat in corde.

**R.** Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: \* Qui minas júdicum non tímuit, nec terénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cælestia regna pervénit. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Qui.** Glória Patri. **Qui.**

Pro S. Martha:

### Lectio ix

**M**artha, nobilibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascensum in cælum, cum fratre, soróre multisque áliis Christiánis comprehénsa a Judæis et in navem sine velo ac remígio impósita, Massíliam appulisse tráditur. Eo miraculo et horum prædicatióne Massiliénses et finítimæ gentes in Christum credidérunt. Martha autem mirábili vitæ sanctitáte et caritáte ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestissimis féminis se recépit, ubi summa cum laude pietátis et prudéntiæ diu vixit; ac demum, morte sua multo ante prædicta, miraculis clara migrávit ad Dóminum.

**Te** Deum laudámus.

### AD LAUDES

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Ad Bened. Ant.** Qui odit \* ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

### Oratio

**D**eus, qui es regum corónam et Mártýrum victória: tribue nobis, quæsumus, beáti Olávi Regis et Mártýris tui pia apud te experíri patrocínia; ut per tuam, quam in ejus passióne glorificámus, magnificéntiam corónam vitæ diligéntibus te percipiámus repromissam. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio** S. Marthæ **Virginis:**

**Ant.** Simile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

### Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Marthæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

**Deinde Commemoratio** Ss. Felicis ac Sociorum **Martyrum:**

**Ant.** Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliôres estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

### Oratio

**P**ræsta, quæsumus, Dómine: ut, sicut pópulus christiánus Mártýrum tuórum Felicis, Simplicií, Faustíni et Beatricis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et quod votis celebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum nostrum.

### IN II VESPERIS

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Ad Magnif. Ant.** Qui vult venire post me, \* abneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

### Oratio

**D**eus, qui es regum corónam et Mártýrum victória: tribue nobis, quæsumus, beáti Olávi Regis et Mártýris tui pia apud te experíri patrocínia; ut per tuam, quam in ejus passióne glorificámus, magnificéntiam corónam vitæ diligéntibus te percipiámus repromissam. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio sequentis** (Ss. Abdon et Sennen **Martyrum**):

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contemp-

sérunt vitam mundi, et pervénérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sán-guine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

### Oratio

**D**eus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátia contulisti: da fámulis tuis suórum véniam peccatórum; ut, Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári.

**Deinde Commemoratio** S. Marthæ **Virginis:**

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

### Oratio

**E**xáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Marthæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum nostrum.

## SUPPLEMENTUM

### Officia nonnullorum Ss. Patronorum in Ecclesiis eorum propriis

Festum Tituli seu Patroni in Ecclesia propria celebratur sub ritu duplici I classis cum Octava communi. Quare in ipso Festo omnia dicuntur de respectivo Communi præter ea, quæ Festum habet propria; infra Octavam vero et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones I et II Nocturni, quæ in I Nocturno, nisi, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II Nocturno vero semper de Communi.

Quodsi Festum Tituli seu Patroni Ecclesiæ impeditum fuerit etiam perpetuo, transferatur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniæ, ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officiis ejusmodi Festum respective excludentibus.

Festa autem duplicia majora vel minora aut semiduplicia, quæ in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint per Festum Patroni Ecclesiæ vel ejusdem diem Octavam, non transferuntur, sed de eis fit Commemoratio juxta Rubricas; et si Festum impediens fuerit ipse dies festus Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio; si vero Festum aliquod impediatur per diem Octavam Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus, et legitur IX Lectio historica. Idem servatur de Festis propriis Dioceseos duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ pariter, si in aliqua particulari Ecclesia per Festum Patroni ejusve diem Octavam suo die fuerint impedita, commemorantur ut supra.

Dies autem Octava Patroni Ecclesiæ tam in occurso quam in concursu cedit cuilibet Dominicæ.

De Octavis Patronorum, quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Sanctissimæ Trinitatis, semper inclusive.

Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis habendum est pro Titulari Ecclesiæ, quæ titulo gaudet ejusdem B. M. V., absque adjuncta denominatione alicujus Mysteriorum, de quo Festum speciale celebratur.

## PARS ÆSTIVA

Die 24 Maji

B. MARIE VIRGINIS

sub titulo

AUXILIUM CHRISTIANO-  
RUM

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi Festorum  
B. Mariæ Virginis præter ea, quæ  
hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Hymnus

Sæpe dum Christi pópulus  
cruentis  
Hostis infénsi premerétur ar-  
mis,  
Venit adjútrix pia Virgo cælo  
Lapsa seréno.

Prisca sic Patrum monu-  
ménta narrant,  
Templa testántur spóliis opí-  
mis

Clara, votívo repetíta cultu  
Festa quotánnis.

En novi grates líceat Mariæ  
Cántici lætis módulis reférre  
Pro novis donis, resonánte  
plausu  
Urbis et Orbis.

Oh dies felix, memoránda  
fastis,  
Qua Petri Sedes fidei magí-  
strum  
Triste post lustrum réducem  
beáta  
Sorte recépit!

Virgines castæ, puerique  
puri,  
Géstiens clerus, populusque  
grato

Corde Reginæ celebráre cæli  
Múnera certent.

Virginum Virgo, benedícta  
Jesu

Mater, hæc auge bona: fac,  
precámur,

Ut gregem Pastor Pius ad sa-  
lútis

Páscua ducat.

Te per ætérnos venerémur  
annos,

Trínitas, summo celebránda  
plausu;

Te fide mentes, resonóque  
linguæ

Cármine laudent.

Amen.

V. Dignáre me laudáre te,  
Virgo sacráta. R. Da mihi  
virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Ecce, Ma-  
ria \* erat spes nostra, ad  
quam confúgimus in auxili-  
um, ut liberáret nos, et venit  
in adjutórium nobis.

Oratio

Omnípotens et miséricors  
Deus, qui ad defénsi-  
onem pópuli christiáni in be-  
atíssima Virgine Maria perpé-  
tuum auxiliúm mirabilíter  
constituísti: concéde propítius;  
ut tali præsidio muníti  
certántes in vita, victóriam  
de hoste maligno conséqui  
valeámus in morte. Per Dó-  
minum nostrum Jesum Chri-  
stum, Fílium tuum: Qui te-  
cum vivit et regnat.

## AD MATUTINUM

**Invit.** Sancta María, Dei Génitrix Virgo, \* Intercede pro nobis.

**Hymnus** Sæpe dum Christi, ut supra 21\*.

**In I Nocturno Lectiones** Ego sapiéntia, de Communi.

**In II Nocturno**

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Ex Sermone de xii stellis

**Lectio iv**

**V**ehementer quidem nobis, dilectíssimí, vir unus et múlier una nocuere: sed grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulierem unam ómnia restaurántur, nec sine magno fénore gratiárum. Et quidem sufficere póterat Christus: síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hóminem solum. Cóngruum magis, ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque. Jam itaque nec ipsa múlier benedicta in muliéribus vidébitur otiósa: inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediátore ad mediátorem Christum: nec alter nobis utilior quam María. Crudélis nímiùm mediátrix Heva, per quam serpens antiquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit: sed fidélis María, quæ salutis antidotum et viris et muliéribus propinávit. Illa

enim místra seductiósni, hæc propitiatióni; illa suggéssit prævaricatiónem, hæc ingéssit redemptiónem. Quid ad Mariam accédere trépedit humana fragilitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile; tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam: et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod déniqúe signum vel levis indignatióni occurrerit in María, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

**R.** Sicut cedrus exaltátum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, \* Dedi suavítatem odóris. **V.** Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans. **Dedi.**

**Lectio v**

**Q**uod si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiae, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris, age grátias ei qui talem mediátricem benigníssima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspéctum. Déniqúe ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima caritate debítricem se fecit. Ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenítudine ejus accipiant univérsi, captívus redemptiónem,

**Lectio vi****Ex publicis monumentis**

æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam. Ipsa prætérita non discutit mérita, sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet, ómnium déniqúe necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier serpéntis antiqui caput virtútis pede contrítúra; cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine causa. Sola enim contrívit univérsam hæreticam pravítatem. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres, et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Ecclésia lunæ intelligénda vidétur vocábulo, habes mediátricem evidénter expréssam: Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Mariæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illius pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis: potens est enim.

**R.** Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formósa tamquam Jérusalem? \* Vidérunt eam filia Sion, et beátam dixerunt, et reginæ laudavérunt eam. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. **Vidérunt.**

**P**ræsentíssimùm Deiparæ auxiliúm ad religiósni hostes profligándos, sæpe pópulus christiánus mirum in modum expértus est: ex quo factum, ut sanctíssimùm Póntifex Pius quintus post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum tyráno apud Echínadas insulas reportátam, in Litaníis Lauretánis eándem Reginam cælórum inter ália præcónia Auxilium Christiánórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius séptimus, impiórum consíliis et armis ex apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, præsertim Savónæ per annos quinque, eoque ámplius fuisset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsus, ne Dei Ecclésiam régere posset, nullo símilis persecutióni in priscis annálibus exémplo, inopináto et præter ómnium expectatiónem cóntigit, ut ingéni plausu, ac véluti univérsi orbis mánibus pontificio sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab Urbe discédens sacro comítante Cardinálíum collégio, Ligúriam conténdit. Verum præsentíssimùm Dei beneficio,

cessante procélla, quæ grave minabatur excidium, Romam, plaudéntibus præ novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exsequi nequiverat, áurea coróna insignem Savónæ imaginem Deiparæ Virginis sub título Matris Misericórdiæ solémni ritu propriisque manibus decorávit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Póntifex Máximus Pius séptimus, totius événtus íntime cónciscus, cum intercessióne sanctíssimæ Dei Genitricis, cujus poténtem opem, et ipse impense imploráverat, et ab ómnibus Christifidélibus implorári curáverat, acceptam mérito reférret, in ejusdem Virginis Matris honórem, sub appellatióne Auxílii Christianórum, solémne festum índixit perpétuo celebrándum die mensis Maji vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, approbáto étiam Officio próprio, ut tanti beneficii distincta, et perénnis exstet memória, et gratiarum actio.

**R.** Ornátam monilibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: \* Et vidéntes eam filia Sion, beatíssimam prædicáverunt, dicéntes: \* Unguéntum effúsum nomen tuum. **V.** Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. **Et. Gló-**ria Patri. **U**nguéntum.

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

## Lectio vii Cap. 11, 27-28

**I**n illo témpore: Loquéntes Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbátis

## In Nativitate B. M. V.

**I**ntuere, o homo, consílium Dei, agnosce consílium sapientíæ, consílium pietátis. Cælesti rore áream rigáturus, totum vellus prius infúdit: redemptúrus humánum genus, prætium univérsum cónsulit in Mariam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totius boni plenitudinem pósuit in María: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid grátia, si quid salutis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascendit delictis áffluens. Totis ergo médullis córdium, totis præcordiórum afféctibus, et votis ómnibus Mariam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habere volúit per Mariam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

**R.** Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: \* Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus,

Deus noster. **V.** Ora pro pópulo, intérvени pro clero, intércède pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque tuum sanctum implórant auxílium. **Quia.**

## Lectio viii

**I**n ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens miseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érgit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, solo auditu térritus, ad fólia fugiébas: Jesum tibi dedit mediátorem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua: Pater enim diligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánsertit tamen Deus. Advocatúm habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitáte natúræ. Nec dúbium dixerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exaudiét útique Matrem Fílius, et exaudiét Fílium Pater.

**R.** Beátam me dicent omnes generatiónes: \* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericórdia ejus a progénie in progénies tíméntibus eum. **Quia. Glória** Patri. **Q**uia.

## Lectio ix

**F**ilíoli, hæc peccatórum scála, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinere repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, grátiam apud Deum: feliciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus; nimirum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiam, et per Mariam quærámus, quia quod quærit invenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum: nam apud hómines grátia fallax. Quærant áli méritum, nos invenire grátiam studeámus. Quid enim? Non grátia est quod hic sumus? Profécito misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consumpti nos.

**T**e Deum laudámus.

## AD LAUDES

## Hymnus

**T**e Redemptóris Domínique nostri Dícimus Matrem, speciósa Virgo, Christianórum decus, et levámen  
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferórum,  
Hostis antiquus fremat, et mináces,

Ut Deo sacrum populétur agmen,  
Súscitet iras.

Nil truces possunt fúria nocére  
Méntibus castis, prece quas vocáta  
Annuens Virgo fovet, et supérno  
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Patróna,  
Béllici cessat scéleris tumúltus,

Mille sternúntur, fugiúntve turmæ,  
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in Sióne  
Turris, arx firmo fabricáta muro,  
Cívitas David, clýpeis et acri  
Milite tuta.

Virgo sic fortis Dómini poténti  
Déxtera, cæli cumuláta donis,  
A piis longe fámulis repéllit  
Dáemonis ictus.

Te per ætérnos venerémur annos,  
Trínitas, summo celebránda plausu;  
Te fide mentes, resonóque linguæ  
Cármine laudent.  
Amen.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Ad te, o sancta Dei Génitrix, \* clamá-

vimus, et per te venit Dómini auxiliúm nobis.

#### Oratio

**O**mnípotens et miséricors Deus, qui ad defénsiónem pópuli christiáni in beatíssima Virgine María perpétuum auxiliúm mirabiliter constituísti: concéde propitiuus; ut tali præsidio muníti certántes in vita, victóriam de hoste maligno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum nostrum.

#### IN II VESPERIS

**Omnia dicuntur ut in I Vesperis 21\*, præter Ant. sequentem.**

**V.** Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. **R.** Da mihi virtútem contra hostes tuos.

**Ad Magnif. Ant.** Sancta María, \* succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámén, quícúmque tuum sanctum implórant auxiliúm.

Die 15 Junii

S. VITI

Martyris

**Duplex I classis cum Octava communi**

**Omnia de Communi unius Martyris præter ea, quæ hic habentur propria.**

#### Oratio

**D**a Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, sancto Mártire tuo Vito intercedén-

te, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte proficere: ut prava despiciens, quæcúmque recta sunt, libera exerceat caritaté. Per Dóminum nostrum.

**In I Nocturno Lectiones Fratres: Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum cum Responsoriis de Communi unius Martyris.**

**In II Nocturno ex una Lectione, quam de S. Vito habet Breviarium Romanum hac die, fiunt tres ita, ut IV Lectio claudatur verbis: in aliénas terras, V Lectio incipiatur verbis: Ibiq; eam sanctitátis, et finiatur verbis: eórum pedes lambébat, VI Lectio vero inchoetur verbis: Quare inflammátus; et adhibentur Responsoria de Communi unius Martyris.**

**In III Nocturno Homilia in Evangelium Nihil est opértum, de eodem Communi 4 loco.**

**De Ss. Modesto atque Crescentia Martyribus nihil fit.**

Die 25 Junii

S. PROSPERI AQUITANI

Confessoris

**Duplex I classis cum Octava communi**

**Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.**

**De S. Gulielmo Abbate fit Commemoratio tantum in Laudibus (Ant. Similábo eum, V. Amávit eum, e I Vesperis), et non legitur IX Lectio historica.**

#### Oratio

**A**déstó, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Prósperi Confessoris

tui solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ justitiæ fidúciám non habémus, ejus, qui tibi placuit, præcibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

**In I Nocturno Lectiones Beatus vir, de Communi 1 loco.**

#### In II Nocturno

##### Lectio iv

**P**rosper in Aquitánia natus est, unde Aquitánus dici solet, ut ab áliis ejúsdem nóminis viris distinguátur. Quæ causa illi fúerit, e pátria migrándi, ignorátur. Certum vero est, eum Dei nutu in Provinciám ante annum quadríngentésimum vigésimum nonum dedúctum fuisse, ut christiánam de grátia doctrínam, a sancto Augustíno advérsus Pelagiános assértam, contra Semipelagiános, Massiliæ tum pullulántes, defénderet. Celebratíssimam de eórum erroribus et querélis ad sanctum illum doctórem epístolam dedit, proféssus scribere se fidei, qua Ecclésiá vivit, afféctu.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

##### Lectio v

**P**lura ália vulgávit, tum ut sincéram de grátia fidem asséret, tum ut Massiliénsi-

um in sanctum Augustinum, quem male interpretabantur, calumnias depelleret. Cum vero non desisterent tantum virum ejusque defensores impetere, Romam cum Hilario ejusdem causae strenuo defensore profectus est, ad Caestinum Papam rem delaturus. Is, celebri ad Galliae Episcopos data epistola, praeclearum iudicii sui de Prospero ac Hilario testimonium impertiit, et sancti Augustini famam tuitus est, jussitque Episcopos silentium obtrectatoribus imponere.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. **Et.**

## Lectio vi

**T**anta auctoritate fretus Prosper in Gallias redux, majore adhuc confidentia manus conservavit cum Semipelagianis Massiliensibus, et Cassiani Massiliensis collationem semipelagiana labe infectam refellere aggressus est. Sanctus Fulgentius Prosperum nuncupat virum eruditum et sanctum, qui sancti Augustini dicta defendit recta fide et copioso sermone. Eundem Victorius virum sanctum ac venerabilem appellat. Nullo veterum testimonio liquido apparet sanctum Prosperum fuisse gradu ac ordine laicis aut monachis supe-

riorem. Videtur ex eorum numero fuisse, qui, dimisso saeculo, vitam in secesso agbant, ad divina omnino negotia translati, nulli tamen obstricti monasterio.

**R.** Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingerere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Quia. Gloria Patri. Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de eodem Communi 2 loco.

Die 27 Junii

B. MARIAE VIRGINIS

sub titulo

DE

PERPETUO SUCCURSU

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Festorum B. Mariae Virginis praeter ea, quae hic habentur propria.

IN I VESPERIS

**Ant. 1** Benedicta es tu, \* Virgo Maria, a Domino, Deo excelso, praee omnibus mulieribus super terram.

**2** Fecit tibi magna, \* o Maria, qui potens est; et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

**3** Tu gloria Jerusalem, \* tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

**4** Per te, immaculata Virgo, \* nobis est vita perditata, quae de caelo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

**5** Nostras deprecationes \* ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix.

Capitulum Prov. 8, 34-35

**B**eatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

**Hymnus** Ave, maris stella, de Communi.

**V.** Facta es nobis, Domina, in refugium. **R.** Adjutrix in opportunitatibus, in tribulatione.

**Ad Magnif. Ant.** Sancta Maria, \* succurre miseris, juvena pusillanimes, refove flébiles, ora pro populo, intèrveni pro clero, intercède pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvenam, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem.

Oratio

**D**omine Jesu Christe, qui Genitricem tuam Mariam, cujus insignem veneramur imaginem, Matrem nobis dedisti perpetuo succurrere paratam: concede, quaesumus; ut nos, maternam ejus opem assidue implorantes,

redemptionis tuae fructum perpetuo experiri mereamur: Qui vivis et regnas.

AD MATUTINUM

**Invit.** Sancta et immaculata Maria, Dei Genitrix Virgo: \* Assidue pro nobis precare Jesum, Filium tuum.

In I Nocturno Lectiones Ego sapientia, de Communi.

In II Nocturno

Sermo sancti Joannis

Chrysostomi

Apuđ Metaph.

Lectio iv

**D**eus Filius non divitem, aut locupletem aliquam feminam sibi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem et Dei Matrem accurrentes, ejus patrocinii utilitatem assequamur. Itaque quicumque estis virgines, ad Matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit. Magnum revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus aut illustrius ullo umquam tempore inventum est, seu aliquando

inveniri poterit? Hæc sola cælum ac terram amplitudine superavit.

**R.** Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, \* Dedi suavitatem odoris. **V.** Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi.

#### Lectio v

**Q**uidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique alium quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater: eadem virgo et genitrix. Hæc ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere quanto Virgo hæc præstantior sit cælestibus Potentiis? Illæ cum timore et tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur mater, cælum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum, Filium tuum et Dominum nostrum: ut per te misericordiam invenire in die ju-

dicii, et quæ repõsita sunt iis, qui diligunt Deum, bona consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul et Sancto Spiritui gloria, et honor, et imperium, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

**R.** Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? \* Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

#### Lectio vi

##### Ex publicis monumentis

**U**t vero nihil gratiarum deesset in hac dulcissima hominum advocata Maria, divino consilio factum merito censetur, ut ipsius etiam imagines magno essent in honore, et prodigiis miraculisque clarescerent. Inter quas celebrem obtinet locum vetus illa Deiparæ imago, quæ de Perpetuo Succursu nuncupatur. Hæc (ut antiqua monumenta referunt) labente sæculo decimo quinto e Creta insula Romam delata, atque in ecclesia sancti Matthæi Apostoli et Evangelistæ vico Merulana, Alexandro sexto summo Pontifice collocata, ibi per tria sæcula a Christifidelibus venerationem obtinuit. Cum autem ob temporum vicissitudines templum sancti

Matthæi dirutum fuisset, delituit exinde præclara effigies, donec non sine speciali Dei providentia reperta, et ab oblivione, in qua jacebat vindicata, jubente Pio nono Pontifice Maximo ibidem in Exquiliis in propinqua ecclesia sanctissimi Redemptoris et in honorem sancti Alphonsi Mariæ de Ligorio dicata, ingenti populi concursu ac solenni pompa fuit repõsita, publicoque cultui reddita anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto. Ex eo tempore tanta celebritate et prodigiõrum copia inclaruit, ut idem cultus paucorum annorum spatio late in universum christianum orbem se diffuderit. Quibus permotus idem Summus Pontifex Pius nonus, ad augendum erga immaculatam cæli terræque Reginam devotionem, Congregationi sanctissimi Redemptoris Missam et Officium proprium in honorem beatæ Virginis Mariæ de Perpetuo Succursu benigne concessit: assignata huic festivitati Dominica ante diem octavum Kalendas Julii, quo die veneranda imago a collégio canonicorum sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ aurea corõna solenni ritu fuit decorata.

**R.** Ornata monilibus filiam Jerusalem Dominus concipivit: \* Et videntes eam filiae Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: \* Unguen-

tum effusum nomen tuum. **V.** Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. **Et. Gloria Patri. Unguentum.**

#### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

#### Lectio vii Cap. 19, 25-27

**I**n illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis

#### Ex Tract. de Pass. Domini

**D**icit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus; ac si diceret: Tu me filio corporaliter privaris, unde tibi unicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præsentia interim dum absum consoleris. Ad discipulum autem: Ecce mater tua; quasi diceret: Tu vero me patre spoliaris, unde hanc matrem mihi carissimam tibi in matrem do; conservate jura mutue caritatis ad invicem, tu istum filium, tu istam matrem habendo. O quam munificus factus es in nuptiis tuis, rex et sponse, bone Jesu! Quam large quæ habuisti, omnia tradidisti! Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo signa potentie



tuae contulisti! Sed movet me, quod cum dixisset: Mulier, ecce filius; subjunxit: Ecce mater tua; cum utique, etiamsi hoc non subjunxisset, necessarium fuisset eam esse matrem illius, qui in filium sibi datus erat.

**R.** Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: \* Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvenem, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. **Quia.**

## Lectio viii

**S**ed hoc mutuae caritatis affectum mihi commendare videtur. Sunt enim nonnulli qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur; et volunt ut eorum labores et dolores alleviantur, et cum ferantur a pluribus, ipsi nullius onera volunt portare. Non hoc enim Christus docuit, aut fecit; portavit enim onera tua, invitans te, ut et tu onera portes illius, idest ut passionem illius imiteris.

**R.** Beatum me dicent omnes generationes: \* Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericordia ejus a progenie in progenie timentibus eum. **Quia.** Gloria Patri. **Quia.**

## Lectio ix

**C**hristus enim passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Hoc et docuit, cum matrem discipulo, et matri discipulum mutuo commendavit; nimirum nolens ut caritas spiritalis ex una parte frigida remaneret; sed ut simul dormientes, idest in vera et pura caritate simul quiescentes, mutuo calefiant, idest alter ab altero ad caritatis exercitia mutuo accendantur.

**Te Deum laudamus.**

## AD LAUDES

## et per Horas

**Ant. 1** Benedicta es tu, \* Virgo Maria, a Domino, Deo excelso, praee omnibus mulieribus super terram.

**2** Fecit tibi magna, \* o Maria, qui potens est; et misericordia ejus a progenie in progenie timentibus eum.

**3** Tu gloria Jerusalem, \* tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

**4** Per te, immaculata Virgo, \* nobis est vita perditata data, quae de caelo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem.

**5** Nostras deprecationes \* ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix.

## Capit. Prov. 8, 34-35

**B**eatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

## Hymnus

**M**aria, quae mortalium Preces amanter excipis, Rogamus ecce supplices, Succurre nobis perpetim.

Succurre, si nos criminum Catena stringit horrida; Cito resolve compedes, Quae corda culpis illigant.

Succurre, si nos saeculi Fallax imago pellicit; Ne mens salutis tramitem Oblita caeli deserat.

Succurre, si vel corpori Adversa sors impendeat; Fac sint quieta tempora, Aeternitas dum luceat.

Succurre demum filiis Instante mortis praelio, Ut te juvante consequi Perenne detur praemium.

Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna saecula.

Amen.

**V.** Dignare me laudare te, Virgo sacrata. **R.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

**Ad Bened. Ant.** O beata Virgo Maria, \* tu gratiae mater, tu spes mundi: succurre filiis tuis clamantibus ad te, alleluja.

## Oratio

**D**omine Jesu Christe, qui Genitricem tuam Mariam, cujus insignem veneramur imaginem, Matrem nobis dedisti perpetuo succurrere paratam: concede, quaesumus; ut nos, maternam ejus opem assidue implorantes, redemptionis tuae fructum perpetuo experiri mereamur: Qui vivis et regnas.

## AD TERTIAM

**Capit.** Beatus homo, ut supra.

**R. br.** Specie tua \* Et pulchritudine tua. **Specie.** **V.** Intende, prospere procede, et regna. **Et.** Gloria Patri. **Specie.**

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

## AD SEXTAM

## Capit. Eccli. 24, 24-25

**E**go Mater pulchrae dilectionis et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.

**R. br.** Adjuvabit eam \* Deus vultu suo. **A.** djuvabit. **V.** Deus in medio ejus, non commovebitur. **Deus.** Gloria Patri. **A.** djuvabit.

**V.** Elegit eam Deus, et praelégit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

## AD NONAM

**Ant.** Nostras deprecationes  
\* ne despicias in necessitati-  
bus nostris, et a periculis  
cunctis libera nos, sancta Dei  
Genitrix.

**Capit.** Prov. 8, 17-21

**E**go diligentes me diligo:  
et qui mane vigilant ad  
me, inveniunt me. Mecum  
sunt divitiarum et gloria, opes  
superbæ et justitia: ut ditem  
diligentes me, et thesaurus  
eorum repleam.

**R. br.** Elegit eam Deus \*  
Et praelégit eam. **Elégit. V.**  
In tabernaculo suo habitare  
facit eam. **Et. Glória Patri.**  
**Elégit.**

**V.** Diffusa est gratia in lá-  
biis tuis. **R.** Propterea bene-  
dixit te Deus in ætérnum.

## Oratio

**D**omine Jesu Christe, qui  
Genitricem tuam Mari-  
am, cujus insignem venerá-  
mur imaginem, Matrem nobis  
dedisti perpétuo succurrere  
parátam: concède, quæsu-  
mus; ut nos, maternam ejus  
opem assidue implorantes,  
redemptionis tuæ fructum  
perpétuo experiri mereámur:  
Qui vivis et regnas.

## IN II VESPERIS

**Antiphonæ et Capitulum ut ad  
Laudes 32\*.**

**V.** Facta es nobis, Dómina,  
in refúgium. **R.** Adjútrix in  
opportunitatibus, in tribula-  
tione.

**Ad Magnif. Ant.** Ad te con-  
fúgimus, \* o María, vita, dul-  
cèdo et spes nostra: succurre  
cadénti, surgere qui curat,  
pópulo; tu quæ genuisti, na-  
tura mirante, tuum sanctum  
Genitórem, allelúja.

Die 10 Julii

S. ALEXANDRI

Martyris

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi unius Mar-  
tyris præter ea, quæ hic habentur  
propria.

## Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omni-  
potens Deus: ut interce-  
dente beáto Alexandro Már-  
tyre tuo, et a cunctis adver-  
sitatibus liberémur in córpo-  
re, et a pravis cogitationibus  
mundémur in mente. Per  
Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Fra-  
tres: Debitores, de Communi plu-  
rimorum Martyrum cum Respon-  
soriis de Communi unius Mar-  
tyris.

In II Nocturno Lectio IV Sep-  
tem fratres, ut in Breviario hac  
die, Lectio V Triumphális beáti,  
Lectio VI vero Coronáta itaque,  
de Communi unius Martyris 1 lo-  
co cum Responsoriis de eodem  
Communi.

In III Nocturno Lectiones ut in  
Breviario hac die cum Respon-  
soriis tamen de Communi unius  
Martyris.

Die 8 Augusti

S. CYRIACI

Martyris

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi unius Mar-  
tyris præter ea, quæ hic habentur  
propria.

## Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omni-  
potens Deus: ut qui beáti  
Cyriaci Martyris tui natalitia  
cólimus, intercessione ejus in  
tui nóminis amore roboré-  
mur. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Fra-  
tres: Debitores, de Communi plu-  
rimorum Martyrum cum Respon-  
soriis de Communi unius Mar-  
tyris.

In II et III Nocturno Lectiones  
ut in Breviario Romano hac die,  
cum Responsoriis tamen de Com-  
muni unius Martyris.

De Ss. Largo et Smaragdo Mar-  
tyribus fit Commemoratio tantum  
in Laudibus:

**Ant.** Vestri capilli cápitis  
omnes numeráti sunt: nolite  
timere: multis passeribus me-  
liores estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in  
glória. **R.** Lætabúntur in cu-  
bilibus suis.

## Oratio

**D**eus, qui nos ánnua sanc-  
tórum Martyrum tuórum  
Largi et Smaragdi solemnita-  
te lætificas: concède propi-  
tius; ut, quorum natalitia có-  
limus, virtútem quoque pas-  
sionis imitémur. Per Dómi-  
num nostrum.

De reliquis Ss. sex Fratribus  
Martyribus ac de Ss. Rufina et  
Secunda Virginibus et Martyribus  
fit Commemoratio tantum in Lau-  
dibus cum Oratione ut in Brevi-  
ario hac die; et non legitur IX  
Lectio historica.

Die 6 Augusti

S. XYSTI II

Papæ et Martyris

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi unius Mar-  
tyris præter ea, quæ hic habentur  
propria.

De Transfiguratione D. N. J. C.  
fit die 7 Augusti cum Commemo-  
ratione S. Cajetani Confessoris  
et S. Donati Episcopi et Martyris  
juxta Rubricas.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætér-  
ne, placátus inténde: et  
per beátum Xystum Márty-  
rem tuum atque Summum  
Pontíficem perpétua protec-  
tione custódi, quem totius  
Ecclésiæ præstitisti esse pa-  
stórem. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones A Mi-  
léto, de Communi.

In II Nocturno Lectio IV Xy-  
stus secúndus, quam de S. Xysto  
habet Breviarium Romanum hac  
die tamquam Lectionem IX, Lec-  
tio V Príncipes, Lectio VI vero  
Vere frustra, de Communi unius  
Martyris 2 loco.

In III Nocturno Homilia in Ev-  
angelium Venit Jesus, de Com-  
muni Summorum Pontíficum.

De Ss. Felicissimo et Agapito  
Martyribus nihil fit.

Die 18 Augusti

S. HELENÆ

Imperatricis, Viduæ

Duplex I classis cum Octava  
communiOmnia de Communi nec Vir-  
ginis nec Martyris præter ea, quæ  
hic habentur propria.

Oratio

**D**omine Jesu Christe, qui  
locum, ubi Crux tua la-  
tebat, beatæ Helenæ revelas-  
ti, ut per eam Ecclesiam tu-  
am hoc pretioso thesauro di-  
târes: ejus nobis intercessi-  
onē concede; ut, vitâlis ligni  
pretio, æternæ vitæ præmia  
consequamur. Qui vivis.

De IV die infra Octavam As-  
sumptionis B. M. V., necnon de  
S. Agapito Martyre nihil fit.

In I Nocturno Lectiones Mu-  
liærem fortem, de Communi.

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii  
Episcopi

Orat. de obitu Theodosii

Lectio iv

**V**enit ergo Helena, cœpit  
revisere loca sancta, in-  
fudit ei Spiritus, ut lignum  
Crucis requireret; accessit ad  
Gólgotham, et ait: Ecce lo-  
cus pugnae, ubi est victória?  
quæro vexillum salutis, et  
non invénio. Ego, inquit, in  
regnis, et Crux Dómini in  
púlvere? Ego in aulis, et in  
ruinis Christi triúmphus? Ille  
adhuc latet, et latet palma vi-  
tæ æternæ. Quómodo me red-

émptam árbitor, si redém-  
ptio ipsa non cernitur? Video  
quid égeris, diabole, ut glá-  
dius, quo peremptus es, ob-  
strueretur. Sed Isaac obstruc-  
tos ab alienigenis púteos eru-  
derávit, nec latere aquam  
passus est. Tollatur igitur  
ruína, ut vita appareat. Pro-  
mátur gladius, quo veri Go-  
liæ caput est amputátum. A-  
periatur humus, ut salus fúl-  
geat. Quid egisti, diabole, ut  
absconderes lignum, nisi ut  
iterum vincereris?

**R.** Propter veritatem, et  
mansuetudinem, et justitiam:  
\* Et deducet te mirabiliter  
dextera tua. **V.** Spécie tua  
et pulchritudine tua inténde,  
próspere procéde, et regna.  
**Et.**

Lectio v

**V**icit te María, quæ genuit  
triumphatórem, quæ sine  
imminutione virginitatis édi-  
dit eum, qui crucifixus vince-  
ret te, et mórtuus subjugáret.  
Vinceris et hódie, ut múlier  
tuas insídias deprehéndat. Il-  
la quasi sancta Dóminum ge-  
stávit, ego Crucem ejus inve-  
stigábo. Illa generátum détul-  
lit, ego resuscitátum. Illa fe-  
cit, ut Deus inter hómines vi-  
deretur, ego ad remédium  
peccatórum divinum de ruinis  
elevábo vexillum. Aperit ita-  
que humus, decutit pulve-  
rem, tria patíbula confúsa ré-  
perit, quæ ruína contéxerat,  
inimicus absconderat. Sed  
non pótuít obliterári Christi

triúmphus. Incérta hæret ut  
múlier, sed certam indági-  
nem Sanctus Spiritus inspi-  
rat.

**R.** Dilexisti justitiam, et  
odisti iniquitatem: \* Propter  
ea unxit te Deus, Deus tuus,  
óleo lætitiæ. **V.** Propter ve-  
ritatem, et mansuetudinem,  
et justitiam. **Propterea.**

Lectio vi

**Q**uæsivit clavos, quibus  
crucifixus est Dóminus,  
et invénit. De uno clavo fre-  
nos fieri præcepit, de áltero  
diadéma intéxuit, unum ad  
decórem, álterum ad devoti-  
onem vertit. Visitata est Ma-  
ría, ut Hevam liberáret; visi-  
tata est Helena, ut imperató-  
res redimerentur. Misit ita-  
que filio suo Constantino  
diadéma gemmis insignitum,  
quas pretiosióri ferro innexas  
Cruci redemptionis divínæ  
gemma connécteret; misit et  
frenum. Utróque usus est

Constantinus, et fidem trans-  
misit ad pósteros reges. Prin-  
cipium itaque credentium im-  
peratórum sanctum est, quod  
super frenum. Ex illo fides,  
ut persecutio cessáret, devó-  
tio succéderet. Sapiénter Hé-  
lena egit, quæ Crucem in cá-  
pite regum levávit, ut Crux  
Christi in régibus adorétur.  
Non insoléntia ista, sed pie-  
tas est, cum defértur sacra  
redemptioni. Bonus itaque  
clavus Románi imperii, qui to-  
tum regit orbem, et vestit  
príncipum frontem, ut sint  
prædicatóres, qui persecutó-  
res esse consueverunt.

**R.** Fallax grátia, et vana  
est pulchritúdo: \* Múlier ti-  
mens Deum, ipsa laudábitur.  
**V.** Date ei de fructu mánu-  
um suárum, et laudent eam  
in portis ópera ejus. **Múlier.**  
**G**loria Patri. **Múlier.**

In III Nocturno Homilia in Ev-  
angelium Simile est regnum cæló-  
rum, de Communi.

**INDEX ALPHABETICUS**

	pag.
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii . . . . .	7*
Henrici Imperatoris, Conf., duplex. 15 Julii . . . . .	14*
Olavi Regis, Mart., duplex. 29 Julii . . . . .	14*
Petri et Pauli, Apostolorum, duplex I classis. 29 Junii . . . . .	10*
Translatio Ss. Crispini et Crispiniani Mm., duplex. 20 Junii . . . . .	7*
Translatio Ss. Reginæ et Soc., Vv. et Mm., duplex. 1 Junii . . . . .	1*
Udalrici Ep. et Conf., duplex. 4 Julii . . . . .	10*

**INDEX SUPPLEMENTI**

	pag.
Alexandri Mart. 10 Julii . . . . .	34*
Cyriaci Mart. 8 Augusti . . . . .	35*
Helenæ Imperatricis, Vid. 18 Augusti . . . . .	36*
Mariæ B. V. Auxilium Christianorum. 24 Maji . . . . .	21*
Mariæ B. V. de Perpetuo Succursu. 27 Junii . . . . .	28*
Prosperi Aquitani Conf. 25 Junii . . . . .	27*
Viti Mart. 15 Junii . . . . .	26*
Xysti II Papæ et Mart. 6 Augusti . . . . .	35*

**APPROBATIO**

Concordat cum originalibus approbatis.

Osnabrugi, die 13 Augusti 1951

Nr. 178

† **Wilhelmus Archieppus.**  
Eppus. Osnabrugen.

**IMPRIMATUR.**

Ratisbonæ, die 20 Novembris 1951

**Joseph Franz**  
Vic. Gen.

